



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Graecorum iura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

pro reliquis : *Congreg. Episc. in vna Ma-
cerat. Junij 1583.*

Gratia.

- 1 **P**ro gratia, vel iustitia obtinenda in Curia prohibetur dari aliquid, vel promittere, sub pœna excommunicationis lata sententiæ reservata absolute Papæ. Gregor. XIII. Anno 1573.
- 2 Ampliatur etiam respectu quorumvis tribunalium, etiam laicalium, in toto statu ecclesiastico, sub eadem pœna, & alijs. Clem. VIII. apud Naldum. *Gratia numero 14. & habetur in Bulla de Bono regimine. §. 22. 15. August. 1592.*
- 3 Falsò obtentæ in criminosis summarie recognoscantur ab Episcopo, & rejiciantur. *Trid. sess. 13. cap. 5.*

Græcorum iura.

- 1 **G**ræci degentes in locis Latinis, & eorum Ecclesiæ, & pia loca subiecta sunt Episcoporum Latinorum visitationi, & omnimodè iurisdictioni, reservatis eorū approbatis ritibus. Pius IV. A. 1564.
- 2 Ne Græci latino more Missas, & divina officia celebrent, nec Latini è contra sub pœna suspensionis perpetuæ divinis. Pius V. A. 1566.
- 3 Ritus quoque proprii circa Sacramenta serventur, ex Clement. VIII. Decreto apud Quar. in summ. Bullar.
- 4 Fidei professio fiat à Græcis iuxta formam data à Gregor. XIII. apud Quar. *ibidem.*
- 5 Mulieres Latinæ datæ Græcis in matrimonium ne permittantur vivere ritu Græcorum. Cong. Episc. 20. Febr. 1590. *Præcedentia num. 15.*

Hæretici.

- 1 **I**n locis Italiæ, & insularum adiacenti nullus hæreticus quovis prætextu domicilium contrahere, habitare, aut morari possit. Gregor. XV. Anno 1622.
- 2 Neque cuiquam liceat hæreticos receptare, opem ferre, favorem, &c. *idem ibidem.*

3 Et contra prædictos procedatur iuxta formam iuris, & puniantur. *idem ibidem.*

4 Itali quicumque ne audeant habitare in loco hæreticorum, in quo non est aliqua Ecclesia cum sacerdote catholico. Clem. VIII. An. 1596.

5 Abstineant item à matrimonio cum hæreticis mulieribus, hæreticorum sepulturis, & mutuo compatrum officio in baptismo non legitimo, neque eorum medicis utantur, nisi ex inopia catholici. *idem ibid.*

6 Antequam eant ad eos, id significant Ordinarijs, quibus singulis annis transmittant testimonium de confessione, & communione facta. *ibidem.*

7 Aliàs procedi potest contra eos, ut de hæresi suspectos. *ibid.*

8 Nemo mittatur ad hæreticorum loca, etiam causa mercaturæ, nisi agant annum vigesimum quintum. Prou. 6.

9 Neque eant sine licentia Deputati ab Episcopo, & cum redeunt, ferant testimonium ab Episcopo seu Parocho catholico, quod ibi catholicè vixerint. Prou. 3.

10 Qui propè hæreticorum loca habitât, ea conditione concedatur accessus, ne die festo illic opus servile faciant, imò redeant die festo. Prouine. 6.

11 Nullo modo liceat alicui sua bona vendere, ut illi constituent domicilium. *ibid.*

12 Suspectus est de hæresi, qui obdurato animo censuris annexus in illis per annum inforduerit. Trident. *sess. 25. capit. 3.*

13 Bis in anno initio Adventus & Quadragesimæ moneantur populi à Parochis, ut reveleant suspectos de hæresi. Prou. 2.

14 Si odij, gratiæ, vel amotis, lucri vel commodi temporalis obtentu contra iustitiam, & conscientiam omiserit Episcopus procedere contra quemcumque super hæresi, suspenditur per triennium ab officio. Barbof. *allegat. 111. numer. 30.*

15 Non potest Episcopus absolovere hæreticum, licet Concil. Trident. concedat ei facultatem ob Bullam Cœnæ. decisum referunt DD. apud Barbof. *alleg. 40. numer. 23. 24.*